quod prius velare conati sunt isti sodales D. Ehemij fi-
lium indicant (quem heri Rector eum obiecisse voca-
rat) in invenientem, quasi pater senex non doleret tales
filii mores expostulaturusque seseque armaturus. Scilicet, quis esset
Ehemi Cancellarius filius Rector in eum non animadverteret.
Apud me ut deprecetur non opus est, quem non laesit; satisfaciat
collegii tui offensioni vel scandalo: edicat et corrigat ista
tale ingenium et mores, idque ut faciat ex animo ipsi et ali-
is eius sodalibus et amicis opto. Mag. Rectore in pasto tuo ar-
bitrio istum coercet et poenam permittere. bene vale.
Datum 16. Febr. 1590.

Jo. Her. Witekindus Prof.
Math. Heidelb.

Επιγραφή.
Optimo atque doctissimo viro
M. Davidi Pareo et amico
~~etc~~

S.

173. Dolui, vir et frater in Christo reverende, cum nuper
ex D. Curaeo, qui isthinc ad nos venerat, cognoscerem:
ita te continuis laboribus (utrum id an voluntate tua, an
aliorum iniquitate) obrui ut cito conficiare sit necesse,
quem hoc tam turbulento tempore, non tam suo, quam
Ecclesiae Christi bono diu bene incolumen esse omnes
boni merito cupiunt. Velim ergo tibi in hac imbecilli-
tate a tuis nonnihil parci, ne quod D. Ursino, Praecepto-
ri meo eadem causa factum est, ante tempus Ecclesiae
et nobis eripiaris. Laborem ut diu queamus. Sed fi-
et Domini voluntas. Scripsi pauca et primo nunc
ad D. Bezam de duobus nostris alumnis, quos Illustriss.
noster studiorum causa Genevam mittit: inde postea
ad vos redituros. Video enim me praeter voluntate
in communem palaestram ex hac umbra protrahi,
ut deinceps nostri vobiscum necessaria sit futura
causa communicatio. Et spero D. Bezam inter tot
occupationes recte accepturum compellationem me-
am brevissimam. Non enim libenter vos avoco aut
interturbo in gravissimarum actionum cursu. Quid
Hubergius ille furiosus Apostata latine et germani-
ce nunc in vulgus spargat de universitate electi-
onis, redemptionis et promissionum divinarum,
et cum quanta

de Ao 1590.

Acum quanta omnium nostrûm oblectatione fa-
ciat, non ignoras. Est causæ et Ecclesiæ, non rabiosi
canis, aliqua habenda ratio. Itaque hæc viri min. D. Tossa-
no omnis sententia est: ita hominē illum (si homo est)
silentio ulciscendum, ne tamen deserta veritas videatur.
Explicanda ergo est controversia, ut aliquatenus iam
factum est, sine omni mentione huius nebulonis, ne per
nos nominis famam quā quærit inveniat. Lacessivit
me aliquis quidam Sigwardus; sed utrosque ulciscar sola re-
cognitione Apologiæ meæ, quam scio a pluribus desi-
derari. Interim aliud pugnæ genus ubiquitariæ fa-
ctio passim ostentat ad vulgus, accusavit Calvinum
de arrianis et iudaicis locorum quorundam Scriptu-
ræ corruptelis: quod fecerunt nuper Ioh. Matthæus
D. Witebergensis, et Hunnius Marpurgensis: nunc Sel-
neccerus et quidam censores in Saxonia: ut videre
licet ex his pagellis, quas ad te et nos mittit Orthodo-
xus quidam Ecclesiæ minister, vir doctus Sebastianus Am-
brosius Pastor in Weisenmarck. Legi quidem et legendas
dedi D. Tossano. Sed quis vacare possit omnibus? Mit-
to ergo ad te, Reverende frater, ut voluit author,
si tu queas D. Bezæ persuadere, ut brevem Apolo-
giam D. Calvini proxime emittat de præcipuis qui-
busdam locis: maxime contra præfationem Hunnii
in tractatu de Trinitate. Operæ pretium fecisse vide-
beris. Me D. Goclenius urget de Germanico responso
ad libellum Selnecceri: quia is Landgravium suum
D. Ludovicum valde commoverit; sed præterea
[illegible] ordinarias [illegible]
annotationem Catechismi partem, quam amici nostri
extorquent: Postea Apologiæ [illegible] recognitio inc[illegible]
[illegible] cum Bibliis iam recognitis denuo proxime
prodent. Si quid temporis superfuerit: dabo aliquid.
Verum tamen omnes istas calumnias toties idem esse [illegible]
victoriæ nostræ: quia adversarii ut mali causidici solent
causa desperata lites movere alienas. Bene vale vir Re-
verende, et frater in Christo observande. Deus te suæ
et diu Ecclesiæ suæ incolumem servare et robore Spiritus in-
struere pergat. Saluta omnes fratres et me quod facis ama.
Heidelbergæ. 27. April. 1590. T. S. D. Pareus.

ἐπιγραφή
Reverendo et clarissimo
Theologo D. Iohanni
Iacobo Grynæo Domino
ac fratri suo sum-
ma observantia colendo.